UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti

Stengel, Carl

[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV

XVII. Septembris. S. Lambertvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38356

Visual Library

S. LAMBERTVS Traiectenſis literarum diſciplinas Landoaldo Magiſtro combibit. Theodardo verò Traiectenſi Epiſcopo impiâ à barbaris cæde ſublato, LAMBERTVS in illud oneris atq; honoris faſtigium ſubuectus eſt, quáuis inuitus. Ille igitur vigilantiſſimi paſtoris munus obiens, gregem ſibi creditum factis primùm, inde verbis ad omnem religionem formabat. Cùm autem veritatis prædicator, inuidiam multorum ſuſtineret, per Ebroinum Tyrannum ſede ſuâ pulſus, exulauit, Pharamundo ſubrogato. Ipſe verò in Stabulenſe monaſterium ſeſe abdidit. Vnde ſeptennio tranſacto eductus, à Pipino in priſtinam ſedem reſtitutus, non ſuum tantummodo populum, ſed & finitimos Taxandros adhuc ethnicos, curâ & piâ ſolicitudine complexus, eaſdem ad fidem traduxit eorum Apoſtolus appellatus. Pipinus autem legitimâ vxore pulſâ, nimis Alpaidi pellici adhæreſcens, cætera egregius, vno ſcelere multas virtutes obſcurabat. Hoc eius tam publicum & infame flagitium, cæteris Epiſcopis diſſimulantibus, & velut canibus mutis latrare non valentibus, ſolus LAMBERTVS Ioannis Baptiſtæ libertatem æmulatus, graui verborum ſeueritate perſtrinxit. Cæterùm impuriſſima pellex, cùm ſe ab amore Principis, velut altera Herodias, diuelli non pateretur, homini ſanctiſſimo inſidias exitiumq́ue comparauit. LAMBERTVS igitur de ſempiterno Pipini exitio mærens, ab illius conſpectu digreſſus, conſilio pellicis in villa Legiâ ante altare SS. Coſmæ & Damiani, diductis in formam crucifixi brachiis telo confoſſus occubuit XV. Cal. Oct. A.C. DCXCVIII. Indeq; ſanctiſſimum corpus ablatum Traiecti in Apoſtolorum Principis Eccleſiâ magnificè conditum eſt. *Ex vita apud Sur.*

S·LAMBERTVS TRAIECT. EPISC. M
ORD. S. BEN.

Hic inſidijs Alpaidis impuriſſimæ Pipini pellicis cuius infame flagitium ſeuere perſtrinxerat in villa Legia diductis in formam Crucifixi brachijs telo confoſſus occubuit A.C. DCXCVIII